



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Cap. III. Descriptio veteris orbis per Sphaeram sta[n]tem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

*Descriptio veteris orbis per Sphæram stantem.*

**L**INEA A. B. quæ medij Meridiani seu nonagesimi fungitur vice, diuidatur in 181. partes cum minutis 50. aut simplicius in 180. Cur autem is numerus electus sit à Ptolemæo demonstrat Antonius Maginus contra Velferum, & per methodum subtentarum Ptolemæicarum, & per doctrinam triangulorum planorum. Tu illum consule ad posteriorem partem vltimi capituli libri primi Geographiæ Ptolemæicæ.

Tum inueniendi paralleli tres *Thylensis*, *Syennensis*, *Antimeroensis*, vt in his tria puncta notentur, per quæ Ellipses ducentur quibus notabuntur Meridiani. In linea B. A. ex puncto A. accipe sedecim partes cum vnâ secundâ, & duodecimâ, hoc est 45. minuta, *Æquatore* habebis; vt in puncto A. *Antimeroensem* parallelum. Iam ex Ptolemæi mente *Syennensis* distat ab *Æquatore* Gradibus 23. cum minutis 50. *Thylensis* 63. eas partes se pone in linea A. B. & ex puncto B. ad illa puncta circulos seu parallelos circūducito.

In his porrò sic inueniendi Meridiani. *Thylensis* habet proportionem ad *Æquatore* seu maximum circulum qualem duo cum 15. minutis ad quinque; accipe duas partes cum minutis quindecim ex partibus lineæ A. B. seu vt quintum & decimum quemque tantum adnotes, sex partes cum minutis quadraginta quinque, & ab vtrâque parte lineæ A. B. super hunc parallelum sexies ducito. In parallelo per *Syenen* 13. partes cum scrupulis quadraginta quinque, in *Antimeroënsi* gradus quatuordecim cum minutis triginta, quia *Syennensis* proportionem habet ad *Æquatore*, vt quatuor cum minutis quinquaginta, ad quinque; *Antimeroënsis* vt quatuor cum minutis quinquaginta, ad quinque. Itaque per puncta in his tribus parallelis notata tuas Ellipses pertrahes, quæ tibi Meridianos repræsentabunt.

Per eam methodum nonnulli Asiam nobis & Americam, & Africam repræsentant, sicut Europam per superiorem, sed satius est ad inferiores recurrere, vt pote certiores, & figuram orbis melius depingentes ex Opticæ principiis.



